

846.

1250—1251. *)

BIRGER JARL II:s Förnyelse af äldre Freds- och Handels-Tractater med Lybeck.

K. v. 115.

BRIGERVS Dei gracia dux Sweorum, prefecto, consulibus & burgensibus universis civitatem Lubicensem inhabitantibus omne bonum cum salute vite presentis pariter & future. Quia non credimus memoria recessisse, quod nos nuncios nostros ad vos in jejunio scilicet prepositum Ericvm & Johannem Calvum specialiter transmisimus, quia vidimus diligenter, quod discordie fomes & invidia odii inter nos & vos voluit suboriri, propter marinos transgressores, qui pacis federa turbaverunt, monentes vos per eosdem ut super bono pacis diligenter deliberare deberetis, & quod nos certos redderetis super proposito vestro per aliquem burgensem civitatis vestre, qui mature esset etatis & super antiquis gestis notitiam gereret plenior. Innotescat igitur vobis, quod nos nuncium vestrum recepimus, quem in negotiis agendis & promovendis invenimus multipliciter providum & discretum. Habuimus igitur cum eodem super pacis concordia primo colloquium & tractatum, quem illustres principes scilicet felix memorie rex Sveorum Kantvs, Dux Saxonie Henricvs & Byrgervs dux Sveorum inter Theutonicos & Sweos antiquitus firmaverunt. Hos ergo transcriptis in quibus forma pacis jam predictae plenarie continetur tam nostris quam vestris prelectis & auditis invenimus eadem in omnibus concordare. Propter quod presentibus venerabilibus dominis Archiepiscopo Upsalensi & suffraganeis suis Domino Karvlo Karuli ducis filio, domino Karvlo, ducis Ulfonis filio, aliisque discretioribus regni nostri statuimus firmiter pacem pristinam esse necessario renovandam & imposterum inviolabiliter observandam maxime, quia si lites & iurgia per antecessores nostros sapienter & sine debito terminata iterum de die in diem deberent in irritum revocari, nunquam segura pacis concordia possit ab hominibus inveniri. Volumus igitur omnes Lubecenses ad regnum nostrum cum mercimoniis venientes a tributo & theloneo quolibet esse liberos & exemptos. Si qui vero de civitate vestra moram nobiscum facere voluerint in regno nostro habitare, tunc volumus ut patrie nostre legibus utantur & regantur, & Sveci de cetero appellentur, & hoc idem petimus, ut vos circa nostrates ad vestram civitatem venientes inviolabiliter observetis. Preterea si quis de vestra civitate aliquam ex nostratibus passus fuerit injuriam ad nos cum litteris vestris & legitimo veniat testimonio & nos eidem in continenti secundum leges patrie plenum & integrum faciemus fieri iusticie complementum, & vos nostratibus vobiscum consimiliter faciatis.

*) Jemf. K. v. 114.

Similiter & omnia alia que antecessores nostri superius nominati in privilegiis suis antiquitus statuerunt volumus observare tam super purgatione ferri candidi quam etiam mulieribus in soluto matrimonio inpregnatis. Preterea si qui de vestra civitate penes vos in mari rapinas velint exercere & pacis jam predictae federa perturbare, ipsos de vestra civitate in perpetuum exuletis & hoc nos idem circa personas talium facere volumus, ubicunque prope partes nostras poterunt inveniri. Preterea petimus instancius, ut illos qui de nostris partibus ad vos veniunt, veluti vestrates, & nos illos qui de vestra veniunt civitate veluti nostrates ad invicem mutuo diligamus.

847.

1250—1266.

KON. WALDEMARS och BIRGER JARLS Bref rörande Prestmannen THINGOLFS och dess Broder NICOLAI gåfva af Gudstenstorp till Alvastra kloster.

A. 3. v. 1: 5. b. *)

WALDEMARUS deus gratia rex sveuorum. Et byrgerus eadem gratia dux svechorum dicti regis pater. vniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. salutem sanctis omnibus repromissam. In nostro tempore. que geruntur. ne cum lapsu temporis. pariter labantur. & nequa possit eis in posterum calumpnia suboriri. litterarum apicibus. & virorum prudentium testimonio volumus perhennarij. Elucescat ergo presentibus pariter & futuris. quod diuina inspirante gratia religiosus vir Thingolfus presbiter. cum fratre suo. Nicolao. in suorum remissionem peccaminum. & eterni patris misericordiam promerendam. predium suum in gudstenthorp cum vniuersis appendiciis suis aluestrensi monasterio perpetuo tradiderint possidendum, Testes huius donacionis sunt cognatj & vicini eorum. & prouinciales vniuersi. Dictorum igitur virorum donacionem auctoritate nostra firmam monasterio stabilemque facere volentes. ne processu temporis inportuna calumpnia possit reuocari. facere hoc. mandarj litteris volumus & sigilli nostri munimine roborarj. Quicunque igitur contra presens scriptum. ausu temerario contraire presumpserit. omnipotentis deus vindictam & sanctorum eius. nec non & nostri gladii vlcionem. se Nouerit incursum.

*) I en odaterad vidimation af Östgötha Lagmannen KNUT JONSSON.